RATIONES Sereniſſimi CAROLI TOŸ MAKAPÍTOY

Contra affectatam *Curiæ*, quæ dicebatur *Juſtitiæ*, Juriſdictionem; quas, *ſtupendæ* quidem, ſed *afflictiſſimæ* Virtutis *Princeps*, tanquam *Cygneam* Integritatis & Sapientiæ *Vocem*, edidit.

Ex Autographo *fideliter* Redditæ.

HAGÆ-COMITIS.
Typis S. B. Impenſis *Richardi Royſton Londini*, ad inſigne *Angeli* in vico vulgo dicto *Ivie-Lane*. 1649.

RATIONES
Sereniſſimi CAROLI
TOY MAKARITOY

Contra affectatam Curiæ, *quæ dicebatur* Juſtitiæ, *Juriſdictionem*; *quas*, ſtupendæ *quidem*, *ſed* afflictiſſimæ *Virtutis* Princeps, *tanquam* Cygneam *Integritatis & Sapientiæ Vocem, edidit.*

POſt *Proteſtationes* jam antè à me exhibitas, tùm contra mentitam hujus *Conſeſſûs* Juriſdictionem, tùm quòd Nemini Mortalium fas ſit *me Regem* veſtrum citare, aut pro *Tribunali* ſiſtere; nihil ulteriùs ſuper hac materiâ proferendum ſtatuerem (ni forte ut ad priùs à me prolata vos remitterem) ſi mea ſolius res in hoc Negotio ageretur. Sed Officii mei ratio, quo verſùs Deum teneor ad geminam Populi libertatem illibatam conſervandam, omnino non ſert, ut in hoc urgenti rerum articulo me ſilere patiar. Enimverò, ſi *Poteſtati affectatæ*,

omnique juris prætextu destitutæ, *fundamentales Regni leges* vel jam latas exauctorare, vel de novo ferre, pro imperio suo licuerit; velim mihi expediatis quî fieri possit, ut *ingenuus* quispiam in hoc Regno *subditus* sive *vitam*, sive *peculium*, verè *suum* nuncupet? Atque hoc in loco res nostras positas esse in præsentiarum arbitror. Quum ergò primùm huc veneram, expectabam utique, expensis istis rationum momentis quæ in causâ fuerant quò minùs fictis vestris accusationibus respondendum censerem, à vobis, pro virili saltem, satisfactum iri. Sed expertus tandem, quæcunque hactenus proposuerim, susque deque à vobis habita esse, *rationes* meas exponam (ut ut longè difficiliùs *Negativæ* Probationes constent, quàm *Assertoriæ*) cur vestrarum partium non sit, vel de infimo *subditorum*, nedum de *Rege* vestro *cognoscere*. Committendum enim non censui, ut sine rationibus allegaris (quod tamen *Regi* vos vestro facitis) quicquam *subditis* meis obtruderem, eorumque fidem extorquerem.

* Dum hæc præfatur, silentium mihi impositum. Nec de Rationibus quicquam addendi Libertas mihi concedebatur.

* Iniqua certè est *Actio* omnis adversús quemlibet, nisi quæ *sacrosanctis* Dei, aut saltem *municipalibus* Regni *legibus* firmata fuerit. Habeo autem pro compertissimo, quòd hodiernus vester *Processus* divinâ lege non subnitatur, quippe quæ prorsus ex diametro, in utriusque *Fœderis Testamento*, obedientiam *Regibus* exhibendam con-

conceptiſſimis verbis præcipiat. Cujus, ſiquis inficias iverit, Probationes in promptu ſunt. Et quod ad Controverſiam preſentem ſpectat, ſic ſcriptum legimus. ----

Ubicunque verbum Regis eſt, ibi Dominatio; Ecquis dicat ei, Quid facis? Eccleſ.8.4.

Nec ſanè minus perſuaſum habeo, quod ad *leges noſtrates* attinet, neminem uſpiam *Juris Peritum* affirmaturum, *quodvis genus Conditionis contra Regem competere*, ut pote cujus ſolius nomine omnis *Actio* nuncupetur. Et inter *Juris* noſtri *Placita* hoc occurrit nominatiſſimum, [*Nihil prorſus injuſti à Rege patrari poſſe.*]

Porrò *Lex* illa, in quâ *Proceſſum* veſtrum fundatis neceſſe eſt, ut aut *vetus* ſit, aut *nova*. Si *Vetus*, proferatur. Sin *nova*, monſtretur (quæſo) quo tempore, quâve demum Auctoritate (fundamentalibus *Regni* legibus præmunitâ) *Lex* iſta invaluerit. Quâ verò ratione, ad *Inferiorem Domum* pertineat *Judiciale Forum* creare, quum Ipſa *Forum Judiciale* non ſit, (ut apud omnes *Juriſperitos* in confeſſo eſt,) penès *Deum* & *Homines* Judicium eſto. Nec minùs omnibus mirandum erit (qui de *legibus Angliæ* ſaltem fando inaudiverint) poſthabitis tum *Regis*, tum *Superioris Conſeſſus* ſuffragiis, *jus legum ferendarum* ſibi *ſolis* arrogâſſe.

Et ſuppoſito, ſed non conceſſo, Univerſi *Populi Delegatione* Authoritatem hanc veſtram *muniri* poſſe, hactenus tamen non conſtat id

factum esse. Quotusquisque enim est in hoc Regno, cujus sententiam exploraviſtis? Et injuriâ planè afficitis vel abjectiſſimæ ſortis homunciones, quorum omnium ſuffragia non *viritim* rogaviſtis. Nec certè vobis ſupereſt Authoritatis quam *arrogatis* (ne probabilis quidem) *Pretextus*, ſine conſenſu explicito ſaltem *majoris ſubditorum Partis*, cuicunque claſſi accenſeantur; Quod vos nunquam *conatos*, nedum *aſſecutos* pro certo conſtat. Ex his ergo videre eſt, non meam tantummodò *Prærogativam*, ſed & *nativam* Populi *Libertatem*, hac meâ Concertatione aſſertam eſſe. Quæ quidem in eo neutiquam conſiſtit, ut in partem *Reip:* adminiſtrandæ aſſumantur, ſed ut iis legibus, eo regimine perfruantur, quæ cùm *vitas* ſubditorum, tum *Fortunas*, iis integras conſervant. Sed & *Privilegia Parliamentorum* hoc in loco prætermittere, nec licet quidem, nec libet. Quæ hodierni tamen conatus non violare tantùm videntur, verùm & *Fidem publicam* magis lædere, quàm quis fando unquam audiverit. Cujus admiſſi procul abſit ut *Parliamentum* meum inſimulem: quum illa omnia quorum incuſor, longè ante *Tractatum* nuperum *Newportenſem*, peracta ſint. Ubi poſt finem exoptatum (quantum in me erat) *Controverſiæ* poſitum, cui nihil jam deerat præter ſperatum *utriuſque Domûs* aſſenſum, (mox deinde indubiè ſecuturum) ex improviſo ſtatim arreptus, & *Captivi* inſtar deportatus, hîc tandem ſiſtor. Quo in loco

quum

quum res ſint, tam *leges* & *Immunitates* hujus *Regni*, quàm *indubitatas* etiam noſtras *prærogativas*, quoad-ejus potero, propugnandas ſtatui.

Quinimmò *Superior Conſeſſus* (quantum mihi quidem videtur) planè à Vobis excluditur. Et quod attinet ad *Inferiorem*, ſatis omnibus innoteſcit, ſaltem majorem ipſius partem ſive *cuſtodiâ*, ſive *terrore* præpeditam eſſe quò minùs *Comitiis* interſit. Ut vel inde habeam, ſi aliunde non haberem, cur adverſùs *ſimulatam pſeudocuriæ* hujus *Juriſdictionem*, ex officio meo regali, *proteſtari* debeam.

His addi poteſt, *Tranquillitatem Reipub.* non ultimum habere locum inter ea, ad quæ Cogitationes meæ collimant. Quomodo verò ſperari poteſt, *inquietudines Reip.* unquam in *Pacem* deſituras, dum *poteſtas arbitraria* ultra *Legis orbitam* evagata, univerſam *politiæ* invertat machinam, ſub quâ tam fæliciter tot jam retrò ſæculis hoc *Regnum* efflorverit? (Nec opus eſt ut dicam, quid ſit deinceps obventurum, ſi illegalis & iniquiſſimus adverſùs me *Proceſſus* deſtinatum exitum conſequatur. Nec ſpes vobis adblandiatur, univerſum *Angliæ Populum* de hac *Regiminis mutatione* gratias vobis habiturum; ut qui in mentem aliquando revocaturi ſint, quàm diuturnâ fælicitate non ita dudum elapſis annis, ſub *Reginæ Elizabethæ*, ſub *Regis patris mei*, & ſub *meis* denique *auſpiciis*, (ante diſcordias noſtras civiles infæliciter admodum exortas)

uſi

[illegible] non sine causâ dubitamus, an [illegible]
rorum demersis originibus antiquata illa Tranquil-
litas reducta grande sit.

Atque ex illis procul dubio nimia liquidò
5. colligetur, me non alio tempore instituta
conscripsisse Milder., quàm ut fundamenta
Regni Leges eorum illos vindicarem, qui sibi
aliisque persuaserant, Antiquam Resp. ge-
bernandæ Formam Sceptro meo immutatam &
10 mutatam esse.

Post rationes idcirco meas strictim vobis
expositas, qui effectatam vestram Auctoritá-
tem (salvâ interim potestate, quam pro tuen-
dis populi immunitatibus Deus Opt. Max.
15. mihi concredidit) agnoscere non potestis; re-
stat tandem ex parte vestrâ, ut vel gravissimis
rationum momentis me Erroris redarguatis
(& tunc libens pollicear me recessurum) ve-
ut Inceptis his vestris supersedendum decer-
20 netis.

Subscriptio.

*Hæc pro Concione dixisse apud me fu-
turam in* Aulâ Westmonaste-
rienſi *die* Lunæ, *undecimo Calen-
das Februarias. Sed* rationes pro-
ferendi Copia, *absque omni pro-
sus ratione, mihi præcepta est.*